

Circa præcedentiam inter Regulares utriusque sexus ejusdem Ordinis, hæc semper desumenda erit à die professionis, et non receptionis habitus, (*Cong. Episcop. et Reg. in Ravennatem. 12. Sept. 1588, et in Augustinianor. Lombardicæ 7. Jan. 1654.*) Si duo simul admissi fuerint, vel ad habitum, vel ad professionem, etiamsi admissio facta fuerit in alio monasterio, ille præcedet qui prius in capitulo acceptatus fuerit, quamvis quis vellet cedere juri suo, non obstante qualibet contraria consuetudine, quæ declaratur abusus (*d. Cong. in Neapolitana 23. Novem. 1592, in Mexicana 3. Jan. 1594, in Anconitana 14. Jun. 1592. In Assisien. 13. Martii, et 3. Octob. 1603. relat. à Ferraris loc. cit. Et Cong. Conc. pro monialibus 1608, in Paduana relat. à Barbosa in summa Apostol. decis. verbo Præcedentia n. 29.*) Ratificans professionem nulliter emissam, præcedet à die ratificatæ professionis; (*Cong. Conc. 4. Octob. 1672. in dub. præcedentiæ relat. à Card. Petra comment. ad Const. 8. Eugen. IV. n. 17.*) Professus bona fide ante tempus præcedet à fine 16 annorum, (*Cong. Episc. in Basylanensium 13. Nov. 1648. relat. à Ferraris loc. cit.*) Laicus factus Clericus ex dispensatione Apostolica præcedet à die professionis Clericalis; (*eadem Congr. relat. à Ferraris ibidem.*)

252. Q. V. *Quis sit iudex litis de præcedentia in processibus comitationibus funerum, et similibus actibus?*

R. 1.º Ad tollenda scandala, Episcopus amicabiliter componit lites istas, etiã inter exemptos, remota appellatione, (*Trid. S. 25. c. 13. de Regg.*) 2.º Si agatur petitorio de jure præcedentiæ, lis pertinet ad iudicem Ecclesiasticum partis conventæ, quia tale jus est spirituale saltèm connexivè: at si agatur possessorio meri facti, et pars conventa sit secularis, poterit etiã iudex laicus decidere hanc quæstionem meri facti, cum de se sit temporalis; putà circa actus, quibus acquiritur quasi possessio præcedentiæ, turbatur, amittitur, aut retinetur.—3.º Compositio inter Clericos, de superioritate et subjectione litigantes, non est facienda, nisi vocatis iis, quorum interest (*c. fin. in 6.*), ne cuiquam præjudicium fiat.

Ad Episcopum etiã, et eo absente, ad Vicarium generalem privativè spectat processiones publicas indicere, horam præscribere, dirigere et ordinare, de consilio tamèn capituli, non obstante quacumque contraria consuetudine, etiã immemorabili: ejusque mandato parere tenentur magistratus et ceteri, qui ad illas accedere debent. Nec Parochus extraordinarias facere potest sine licentia Episcopi, ut ex pluribus decretis Sac. Cong. Rituum, et Conc. relat. ab eod. Ferraris verbo *Processio.*

253. Q. VI. *Quid juris circa obedientiam?*

R. 1.º Obedientia debetur Papæ à tota Ecclesia, Episcopo à diocesanis etiã Regibus, Cardinalibus à clericis sibi subjectis, Prelatis regularibus à suis Religiosis et à Clericis, si quos sibi subditos habent, Abbatissis à monialibus et Clericis sibi subjectis, (*cap. 2. 3. 4. 6. 11. 12. h. t.*)—2.º Clerici curati tempore investituræ tenentur Episcopo præstare juramentum obedientiæ; non tamèn alii Clerici simplices, nisi aliud haberet consuetudo vel subditi contumaciter se subtraherent ab obedientia (*c. 3. 40. h. t.*)—3.º Si concurrat major et minor potestas contraria præcipiens, parendum

est majori superiori respectivè, hoc est, qui majorem jurisdictionem habet in subditum, (*Can. 2. d. 8. in fin.*) ibi: *Sicut enim in potestatibus societatis humanæ major potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.* Et (*Can. 97. qui resistit. 11. quæst. 3.*) S. Aug. docet magis obediendum esse proconsuli, quàm curatori; et magis Imperatori, quàm proconsuli.—*Nec obstat Can. 5. cum seq. 9. q. 3. et c. 11. de off. ordin;* nam procedunt de superiore majore absolute, non respectivè ad subditum.

254. Q. VII. *Quæ sint pænæ inobedientium?*

R. 1.º Non obedientes constitutionibus canonicis, incurrunt notam inobedientiæ, hoc est, quãdam infamiam facti, pœnitentia debilem (*cap. 5. h. t.*)—2.º Nolentes ex contumacia obedire decretis Episcoporum et aliorum Prælatorum, subjici debent excommunicationi (*c. 2. h. t.*); nam contemptor potestatis meretur ab ea ligari.

Hactenus de personis et iudicibus Ecclesiasticis. In sequentibus titulis Compiler ad imitationem juris civilis præmittit quædam præparatoria, seu præambula ad iudicium, de quo libro sequenti. Porrò ista præparatoria sunt:—1.º Treuga, pax, pacta et transactiones, quibus lis componi potest absque strepitu judiciali.—2.º Advocatorum, procuratorum, et syndicatorum officium, quo litigantes juvantur.—3.º Rescissiones, et restitutiones in integrum, quæ ob læsionem, vel aliam causam certis personis conceduntur.—4.º Deniquè arbitraria, quia jus omnibus indulget coràm iudice, vel arbitrio litigare.

TITULUS XXXIV.

DE TREUGA ET PACE. *

255. *Nota,* Treugam esse vocem barbaram ex idiomate longobardico derivatam, vel ex germanica voce *Treu*, quod fidem significat. *Treuga*, quoad rem, est securitas personis et rebus præstita ad tempus, bello necdum finito: et per ultimas particulas differt à *pace*, quæ est securitas de se in perpetuum, bello totaliter finito et extincto. *Treuga* aliter vocatur *induciæ*, seu *armistitium*; licèt aliqui discrimen ponant in hoc, quod *treuga* in longius, et *induciæ* in brevius tempus concedantur, (*l. 19. §. 4. ff. de captivis*) ibi: *induciæ sunt, cum in breve et præsens tempus convenit, ne invicem se lacessant.* *Treuga* latius accepta significat *inducias* in quacumque discordia extramilitari interpositas: hic autèm potissimum agitur de *treuga militari*, seu tempore belli interposita; et cum objectum illius sit suspendere bellum, pacis verò illud sopire et extinguere, prius aliqua quæstia de bello, tum de *treuga* et *pace* hic proponuntur.

a—Agitur de hac materia in Extrav. Com. h. t.—In Decreto dist. 90. et Canon. 25. illi. 24. q. 3.—In Pandectis lib. 49. tit. 15. leg. 5. et 19.

256. Q. I. *Quid, et quotuplex est bellum?*

R. 1.^o Est discordia Principum, aut Rerumpublicarum superiorem non recognoscentium, vim et arma sibi mutuò inferentium, (S. D. 2. 2. q. 42. ar. 1.) Ex qua definitione patet discrimen belli à *rebellione*, quæ est discordia inter principem, et rempublicam sibi subjectam; à *seditione*, quæ est discordia inter partem et partem civitatis, aut populi, à *rixa* et *duello*, quæ sunt discordia inter paucos privatos

2.^o Bellum est duplex: *Defensivum*, quo vis, aut injuria illata, aut proximè inferenda propulsatur; *offensivum*, seu *aggressivum*, quo damnum illatum reparatur, aut vindicatur. Utrumque de se est licitum, ut probant plurima exempla Sacræ, Scripturæ in Abrahamo, Moyse, Josue, Machabæis etc., et insinuat Apostolus Rom. 13. v. 4. ibi: *Nom enim sine causa gladium portat* etc.

257. Q. II. *Quid requiratur ad justitiam belli?*

R. Tria:—*Auctoritas* summi principis; quia indicere bellum non pertinet ad privatam personam.—*Justa causa* moraliter certa, saltè principi, licet militibus de illa non constet, (*Can. 4. quid culpatur* 23. q. 1.), ita ut illi, qui impugnantur, ob culpam gravem, pro qua aliter satisfacere nolunt, mereantur talem impugnationem; ut quia injustè detinent alienas terras; quia gravem injuriam Regi, vel Religioni catholicæ intulerunt etc.—*Recta intentio* bellantium, ut non odio, aut vindicta, sed amore justitiæ et boni communis pugnent ad bonum promovendum, vel malum vitandum. Quo spectat etiã observantia legum bellicarum, ut veneno arma, fontes, et annona non inficiantur, amuleta magica non adhibeantur, Ecclesiæ non expilentur, obsides et innocentes directè non occidantur; imò nec bellantes post partam victoriam, cum talis occisio amplius non sit necessaria, nisi aliqui ex hostibus ob speciale delictum promeriti sint ultimum supplicium. Ità com. DD cum S. D. 2. 2. q. 40. ar. 1. et seq., ubi etiã contraria argumenta solvuntur, et Cajet. *ibid.* Ceterùm stratagemate et insidiis, quæ sine falsitate fiunt, licitum est in bello uti, (S. D. *ibid.* a. 3.) Plura de bello vide in P. Laym. etc.

258. Q. III. *An Treuga conventionalis, quæ inicitur ab utraque parte præstantium, observanda sit?*

R. Affirmativè: nam talis treuga, prout constat pacto mutuo, est juris naturalis: quia nihil tam congruum fidei humanæ, quàm ea quæ inter eos placuerit servari (l. 1. p. ff. de pact.) Prout verò importat modum gentibus usitatum, quo ab hostilitate cessatur, pertinet treuga ad jus gentium, (*Can. 9. d. 1.*) Jus autè naturale et gentium observandum est etiã hosti, nisi iste prius fidem frangeret, tunc enim fides esset frangenda eidem. Undè quidquid capitur tempore induciarum, non fit capientium. His non obstant *Exod. c. 12. v. 35. Judic. c. 3. v. 20. lib. 2. Reg. c. 10. et 4. Reg. 10. u. 18. itè Canon. 2. dominus* 23. q. 2. c. 28. *de jurej* ibi. *in alterius præjudicium, et l. 1. §. 3. ff. de dolo malo, l. 25. ff. de captiv. l. 5. §. 5. ff. de re milit. l. 2. C. de commerc. et mercator.* etc.; nam in locis istis non approbatur perfidia contra fidem datam, sed solùm permittitur dolus bonus, seu solertia et stratagemata licita; neque reprobantur pacta quæcumque, sed

illa solùm, quæ contrariantur bono publico: sicut pacta Osnabrugensia reprobata sunt à Sede Apostolica. Ceterùm, treuga conventionalis solvitur cessante conditione apposita, lapsu temporis, et perfida violatione alterius partis.

259. Q. IV. *Quandò locum habeat treuga legalis, seu canonica à sacris Canonibus introducta?*

R. 1.^o Treuga canonica temporalis, qua cessatur à bellando, servanda est ab Adventu Domini usquè ad octavam Epiphaniæ, à Septuagesima usquè ad octavam Paschæ; et per annum ab occasu solis feriæ quartæ usque ad ortum solis feriæ secundæ propter mysteria his diebus peracta.—2.^o Treuga canonica perpetua, quæ sine dierum discrimine currit, conceditur Clericis, Religiosis, ruricolis, mercatoribus, et Legatis, quandiù vacant agriculturæ, mercimoniis, et legationibus. Hæc omnia statuuntur in c. 1. et *fn. h. t.*, sed consuetudo jam ferè totam treugam canonicam abrogavit.

260. Q. V. *Quomodò pax acquiratur?*

R. 1.^o *Terminatione belli*: nam justa *can. 3. Noli.* 23. q. 1., *non pax queritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur.*—2.^o *Pactis publicis* in principes.—3.^o *Interposita auctoritate superioris*, qualiter Papa inter principes christianos partim rogando, partim ex justa causa jubendo, conciliare solet pacem. Si verò publica sint dissidia inter cives, princeps eos cogere potest ad pacem et compositionem (l. 13. ff. de off. præsid. Nov. 17. c. 2.); quia hoc exigit bonum publicum. At si lis privata sit, partes cogi nequeunt ad transactionem et compositionem (Nov. c. 24. *fn.*), ne cui jus suum tollatur, nisi causa esset valdè intricata, vel nulla foret spes controversiæ finiendæ, aut grave malum inde timeretur, (*arg. cit. l. 13.*)

161. Q. VI. *Quid princeps possit in tractatu pacis?*

R. 1.^o Si pax aliter obtineri nequit, princeps vi domini alti potest quæpiam damna subditis suis illata remittere, vel eorum bona hosti cedere: nam hic bonum publicum præferendum est privato; æquitas tamèn suadet, ut princeps et alii cives concurrant ad reparationem damnorum, quæ unus vel alter patitur pro bono pacis. At bona Ecclesiarum princeps laicus cedere nequit hosti sine legitimo consensu Papæ et Episcoporum.—2.^o Si princeps inchoavit bellum injustum, tenetur in conscientia ex suis bonis reparare omnia damna, quæ subditi ratione talis belli patiuntur: nam in hoc casu est injustus damnificator.—3.^o Si tyrannus nollet aliter pacem et liberationem civitati concedere, nisi ad certam mortem extradito sibi innocente, in probabili sententia Lessii, Lopez, Wiggers et aliorum, potest respublica talem innocentem tyranno: tùm quia talis innocens obligatur pro salute patriæ se offerre tyranno; tùm quia in hoc casu respublica præcisè ex intentione suæ salutis et conservationis extrahit innocentem, cujus mors est illi præter intentionem, et per accidens; tùm deniquè quia valdè credibile est, quod Deus reipublicæ pro hoc casu dederit potestatem ad innocentem tradendum, non secus ac gerendi bellum cum certo mortis periculo; ergò. Opposita sententia forsàn videtur probabilior; quia non licet cooperari peccato tyranni, sicut neque propter liberationem patriæ licet tyranno extradere fœminam, qua certo abusurus est, de quo *lib. 5. tit. 12. num. 9.*

TITULUS XXXV.

DE PACTIS. ^a

262. Hic recolenda sunt quæ traduntur *tit. ff. de Pactis*, ex quibus utiliora solum seligam.

Nota I. Pactum generalissimè accipi pro conventionem quacumque; strictissime verò pro conventionem gratuita super re certa, hoc est, animo donandi. Hic in media significatione potissimum accipitur, et definitur: *duorum pluriumve in idem placitum consensus*, puta ad aliquid faciendum vel non faciendum, dandum vel non dandum, (*l. 1. §. 2 ff. h. tit.*) Differt à *pollicitatione*, seu nuda promissione; quia hæc constat unius tantum promittentis consensu absque ulla acceptatione; à *contracta strictè tali*, quia iste parit obligationem civilem, seu actionem efficacem; à *transactione*, tanquam genus à specie.

Nota II. Pactum variè dividi: 1.º in *publicum*, quod fit circa causas publicas, ut sunt fœdera, induciæ etc.; et *privatum*, quod fit circa causas privatas.—2.º In *expressum*, quod fit claris verbis, aut signis, et *tacitum*, quod fit aliquo facto indicante consensum pacticium. Sic creditor restituens vel lacerans chirographum debitoris, tacitè paciscitur de non petendo debito (*l. 2. ff. h. tit.*)—3.º In *reale*, quod fit super aliqua re, et *personale*, quod fit præcisè in gratiam personæ. Sic pactum de debito nunquam repetendo, est *reale*; pactum verò de non repentendo à te solo, est *personale*, cum ab hæredibus tuis debitum peti possit.—4.º In *promissorium*, quo promittitur aliquid dandum, vel faciendum; et *liberatorium*, quo quis liberatur ab obligatione prius contracta.—5.º Pactum præcipuè dividitur in *nudum*, seu *simplex*, et *vestitum*, seu *legitimum*, aut *civile*. *Nudum* est, quod in sola paciscentium conventionem consistit; et quia stat in nudis finibus placiti absque ullo addito quo adjuvetur, et quasi vestiatur, ideò etiam dicitur *nudum*; ut si Titius Cajo promittat decem, vel ædificationem, et Cajo hanc promissionem acceptet. *Vestitum* est, quod præter conventionem partium habet extrinsecum adminiculum juris, aut causam, ratione cujus parit obligationem efficacem. Nomine *causæ* intelligitur *res*, quam unus dat, vel *factum* quod unus paciscentium præstat, ut alter obligetur vicissim aliquid dare, aut facere, super quo conventum est: v.g. do tibi equum, ut mihi negotium expedias Pragæ; vel expedis mihi negotium, ut ego vi pacti tradam tibi equum. Hoc pactum ideò vocatur *legitimum* seu *civile*, quia lex, seu jus civile ei assistit, illudque confirmat (*l. 6. ff. h. tit.*)

Nota III. Pacta vestiri quinque præcipuis modis:—1.º *Specifico nomine*

^a—De his agitur in Sexto *h. t.*—In Decreto 22. *q. 4.*—In Trid. *sess. 25. c. 16. de Regg.*—In Pandectis *lib. 2. tit. 14.*—In Codice *lib. 2 tit. 3.*—Item in Pand. *lib. 50. tit. 12. de pollicitationib.*

contractus, dum pactum transit in contractum nominatum, ut stipulationis, emptionis, conductionis etc.—2.º *Interventu causæ*, hoc est, traditione rei seu præstatione facti, dum pactum ex una parte impletur, et plerumque transit in contractum innominatum.—3.º *Connexione* cum contractu nominato, dum pactum in continenti adjicitur contractui; ut *vendo tibi domum cum pacto*, ut unam partem ejus incolere possim. Ità hi tres modi exprimuntur *l. 7. §. 1. 2. 3. ff. h. t.*—4.º *Juramento*, si pacto addatur (*l. 7. §. 2. ff. de operis libert.*); nam jus utrumque juramento hanc vim tribuit, ut efficaciter obliget, et actionem pariat, idque ob reverentiam nominis divini; et ideò (*c. 28. de jurej.*) dicitur toties esse servandum, quoties sine dispendio animæ servari potest.—5.º *Speciali auxilio et assistentia legis*, dum lex speciale privilegium dat alicui pacto, ut ex illo oriatur actio civilis: cujusmodi pacta sunt quatuor præcipua: *pacta sponsalitia*, *promissio dotis acceptata*, *simplex donatio*, hoc est, promissio de donando, seu donatio non completa per traditionem, et *pactum constituti*, quo quis promittit solutionem debiti proprii, vel alieni, alia die et loco alio.

263. Q. I. *Qui pacisci possint?*

R. Generaliter omnes, qui specialiter non prohibentur; cum pacisci sit de genere permissorum.—Prohibentur autem *natura*, qui usu rationis ad consensum necessario carent; ut infantes, amentes, furiosi extra lucida intervalla, ebrii theologicè, surdi et muti simul, si consensum signis externis exprimere non possint.—*Canone* prohibentur Prælati super rebus Ecclesiæ alienandis sine solemnitatibus canonicis, de quibus *lib. 3. tit. 13.* Itèmonachi, quia velle et nolle proprium non habent (*c. fin. de sepult. in 6.*), nisi adesset consensus superioris, vel pactum fieret pro monasterio, vel circa actionem personalem facile à Religioso implebilem; ut si promitteret orare pro altero.—*Lege* prohibentur:—1.º *Impuberes*, seu *pupilli*, et *minores* in præjudicium suum: nam licet pacisci possint, alios obligando, et sibi acquirendo, attamen sine auctoritate tutoris et curatoris aliis obligari nequeunt. De qua re Legistæ pluribus agunt ad *tit. In. et ff. de auctor. tutor.*—2.º *Prodigi* juridicè, quibus à magistratu interdicta est administratio suorum bonorum (*l. 6. ff. de V. S.*)—3.º *Filiusfamilias* circa bona profectia, et adventitia sine consensu patris; cum illorum proprietates, et istorum usufructus cum administratione ad patrem pertineat (*l. fin. C. de bonis, quæ liber*): at circa castrensia vel quasi castrensia filius liberè pacisci potest; cum respectu eorum habeatur pro patrefamilias (*l. 4. ff. de castrensi pecul.*)—4.º *Servus in præjudicium domini*: tum quia servus, utpotè civiliter mortuus, non est capax obligationis civilis, benè verò naturalis (*l. 14. ff. de O. et A.*); tum quia *melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest* (*l. 133. ff. de R. J.*)—5.º Regulariter alter pro altero pacisci nequit, nisi ad hoc mandatum habeat, vel subjectus sit ei pro quo paciscitur: nam alteri per alterum non acquiritur (*§. 5. Inst. per quas personas cuique acq.*) ibi: *per extraneam personam nihil acquiri potest.*

264. Q. II. *An pollicitatio, hoc est, nuda promissio sine acceptatione sit obligatoria?*

R. Negativè: nam ad promissionem, ut obligatoriam, requiritur mutuus

consensus (l. 1. §. 3. ff. h. t.); sed sine acceptatione non est mutuus consensus, ut de se patet; ergo. Unde promissio non acceptata pro placito promittentis revocari potest, non tantum si interna, sed etiam si externa sit presentis facta: neque sola taciturnitas habetur pro consensu, nisi aliud ex circumstantiis et signis exterioribus colligatur.—His non obstat c. 6. de voto l. 1. pr. l. 3. §. 1. l. 4. ff. de pollicitat. c. 17. de jurej.; nam promissio Deo facta per votum vel juramentum statim acceptatur à Deo; uti et promissio facta civitati et republicæ ob certam causam, v. g. pro ædibus rescindendis etc., statim ab ipso jure supplente consensum civitatis acceptatur, atque ita vim pacti habet obligatorii de jure naturali.

265 Q. III. An pactum nudum, seu promissio acceptata, producat obligationem naturalem in conscientia præstandi id, quod promissum est?

R. Affirmativè: ita c. s. et 3. h. t., ubi pacta quantumcumque nuda dicuntur servanda, et opere complenda. Et l. 1. pr. ff. h. t. Ulp. ait: *Hujus edicti*, putà de pactis servandis, *æquitas naturalis est; quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, servare*. Ratio est, quia ad obligationem naturalem sufficit consensus liber et serius de re licita præstitus, à jure non irritatus; ergo. Unde etiam Papa, et princeps, licet legibus suis soluti sint, tamen pactis obligantur de jure naturali, cui utique subjiciuntur.—His non obstat l. 7. §. 14. et 16. 18. ff. h. t. l. 61. eod. et cap. 4. et seqq. 4. t. et l. 5. C. de postul. l. 15. 49. C. h. t.; nam hæc, et similia loca procedunt de pactis à jure reprobatis et irritatis.

266 Q. IV. An pacta nuda producant obligationem civilem, et actionem in foro externo?

Affirmant de jure Canon. Abb. Lessius, Vall. Fagnan c. 1. h. t. à num. 15. Baldus et alii. Negant Innoc. Gonzal. (c. 1. h. t. à n. 8.) Zoes et multi alii, cum quibus.

R. Negativè: ita de jure civili (l. 7. §. 4 ff. h. t. ibi igitur nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem. Idem statuitur l. 45. eod. et l. 10, 21, 28. C. eod. Jus autem canonicum nullibi clarè contrarium dæcernit, licet c. 1. et 3. h. t. dicat pacta esse servanda, sicut id ipsum dicit prætor l. 7. §. 7. ff. eod.; ex quo non colligitur obligatio civilis, sed naturalis, ob quam jus canonicum ad impediendum peccatum concedit denunciationem evangelicam, vel implorationem officii nobilis, vi cujus judex ecclesiasticus compellat partes ad pacta servanda. Ratio est, quia pacta nuda frequenter et sæpè incautè fiunt; ergo ne tribunalia innumeris litibus prægraventur, meritò jus denegavit actionem ex pactis nudis: quæ ratio etiam locum habet in foro canonico, cum et sacri canones abhorreant multitudinem litium; et ideò ob læsionem infra dimidium non concedunt actionem (c. 3 et 6. de empt. et vend.) Ex his resolvuntur c. 1. et 3. h. t. ibi aut conventus; nam reus conveniri dicitur sive per actionem strictam, sive per implorationem officii judicis, ut conscientiam consulatur (c. 13 de judic.) Nec obstant c. 1. de judic. c. 1. de prob. cap. 9. de præb. c. 3. quia 12. q. 5. et c. 9. et 28. de jurej. cum c. 12. juramenti 22. q. 5.; nam in his locis sermo est de pactis legitimis. Hæc ita de jure scripto; at de hodiernis moribus, quibus formulæ stipulationum exoleverunt, omnis seria promissio et pactum

deliberatum vim habet stipulationis, et consequenter parit obligationem et actionem civilem.

267. Q. V. An pacta nuda habeant aliquos effectus in foro externo?

R. Affirmativè: nam 1.º pariunt exceptionem contra paciscentem (cit. l. 7. §. 4. ff. h. t.) Sic Cajo petenti centum creditos, quos ille promisit se non petiturum, opponere potes exceptionem pacti de non petendo.—2.º Pariunt compensationem, quæ naturam exceptionis imitatur, ut si debeas Cajo centum ex mutuo, et ille tibi centum debeat ex pacto, unum debitum cum altero compensare potes, l. 6 ff. de compensat. ubi Ulp. ait: *etiam quod natura debetur, venit in compensationem*.—3.º Impedit debiti soluti repetitionem (l. 51 et 64. ff. de condition. indeb.); ut si Cajo solvistis centum ex nudo pacto debitos, solutum repetere non potes.—4.º Fidejussor accedens pacto, efficaciter obligatur (l. 1. et l. 16. §. 3. ff. de fidejussor. et mand.), ubi Ulp. ait: *Fidejussor accipi potest, quoties est aliqua obligatio civilis vel naturalis, cui applicetur*.

268. Q. VI. Super qua materia, seu objecto pacta fieri possint?

R. Super omni re honesta et possibili, et in commercio humano existente, cujus specialiter non resistit. Item super omni facto proprio, possibili et honesto; non tamen super facto alieno, quod non est in arbitrio promittentis, nisi præcisè promittatur cura et industria procurandi, ut alter agat. Ex his patet non valere pactum de tradendo libro magico, hæretico, vel rebus sacris ad usum malum, vel de dando foro, platea, et aliis rebus in commercio humano non existentibus. Item inutile est pactum de rebus incertis et genericis: ut substantiæ, corporis, viventis animalis, cum tali pacto satisfieri possit dando muscam vel culicem. At de genere infimo determinato (logicis dicitur species), pactum fieri potest, ut de dando bove, equo etc.

269. Q. VII. Quæ pacta reprobandur à jure Canonico?

R. Seqq.:—1.º Pactum, quo beneficium ecclesiasticum pecunia resignatur, v. g. ut expensæ solvantur.—2.º Pactum de succedendo post mortem Prælati in ejus Ecclesia.—3.º Pactum dandi majorem pensionem pro consecratione Ecclesiæ.—4.º Pactum præjudiciosum ecclesiæ parochiali, ne decimæ vel sepulturæ ad eam pertineant.—5.º Pactum quodcumque circa spiritualia, simoniam vel aliam turpitudinem redolens. Ita c. 4, 5, 6, 7, et fin. h. t. Huc pariter referuntur omnia pacta, quæ peccatum continent, vel ad illud provocant; ut pactum de fornicando, de remittendo crimine futuro; secus est de remissione delicti præteriti, etc. Econtra, valent pacta, quæ Superiores regulares locales de consensu capituli localis ineunt cum rectoribus ecclesiarum, v. g. ut certi parochiani non recipiantur ad sepulturam ecclesiæ regularis, et alia hujusmodi; modò de se sint licita et honesta (c. 1. et fin. h. t. in 6.), et quia talia pacta valent, etsi nullus adfuerit consensus Provincialis, aut Generalis. Verùm Prælatos locales oportet esse cautos, ne quid simile attentent sine consensu majorum Superiorum.

270. Q. VIII. Quæ pacta reprobandur à jure civili?

R. Seqq.:—1.º Pactum advocati cum cliente super quota litis (l. 53. ff. h. tit. l. 5. C. de postulando), quia invitat advocatum ad delinquendum, et

fallaciter in iudicio agendum.—2.º Pactum medici cum ægroto super aliqua re (l. 3. ff. de *extraord. cognit.*), quia hoc sapit quamdam extorsionem.—3.º Pactum super hæreditate viventis: et quidem, non valet pactum initum cum testatore de succedendo illi, cum ei auferat libertatem testandi jure publico concessam (l. 61. ff. de *V. O.* et l. 15 et *fin. C. h. t.*); neque valet pactum inter duos de successione, seu hæreditate tertii inter se dividenda (*cit. l. fin. C. h. tit.*), quia continet votum captandæ mortis, nisi vivens testator consentiat, *ibid.* Denique, non valet pactum de non succedendo, seu renuntiatio hæreditatis (l. *fin. ff. de suis et legit. l. 3. C. de codicill.*); ubi non obstante renuntiatione, filia ab intestato patri succedit; nam tale pactum renuntiatorium retrahit liberos ab obsequio paterno, ad quod plurimum spes successionis allicit. Hæc ita de jure scripto. At de moribus, præsertim Germaniæ, ubi ex actis hæreditariis tristes eventus non timentur, communiter approbantur pacta super successione et renuntiationibus hæreditatum, maxime inter personas illustres. Gail., Zoes et alii, ut praxis probat.

271. Q. IX. *An pacta, à jure civili reprobata et irrita, convalidentur apposito juramento?*

R. Affirmativè, dummodò talia pacta non sint contra bonos mores naturales, nec contra bonum publicum, aut jus tertii. Ità *cap. 28. cum contingat de jurej.*, ubi præcipiuntur servari *juramenta sine vi et dolo spontè præstita, quæ in alterius præjudicium non redundant, nec observata vergunt in dispendium salutis æternæ.* Hinc valent pacta jurata super alienatione rerum dotalium, *ibid.*, super renuntiatione hæreditatis, *c. 2. h. t. in 6. etc.*; et ita in utroque foro judicandum esse decernit Bonifac. VIII. *cap. 2. de jurej. in 6.* Plura de his in *lib. 2. tit. de jurej.* Cetera de substantialibus, naturalibus et accidentalibus pactorum, referuntur ad materiam contractuum, *lib. III.*

TITULUS XXXVI.

DE TRANSACTIONIBUS. ^a

272. *Nota*, transactionem esse præcipuam speciem pactorum, eamque accipi, vel *latè* pro quacumque compositione negotii, etiam non litigiosi, vel *strictè* conformiter huic titulo; et sic definitur: *De re dubia et lite incerta pactio non gratuita, cum utrinque onus importet aliquo dato, vel promisso, vel retento, vel remisso, (cap. 7. h. t. l. A. ff. et l. 38. C. eod.)* Et quamvis transactio ex parte materiæ sit *distractus*, utpotè litem dubiam dirimens, quia tamèn importat conventionem ultrò citròque obligatoriam, meritò dicitur *contractus*, et quidem *innominatus*, qui hoc modo explicatur:

^a—Agitur de hac materia in *Canon. 5. q. 1. in ff. et C. h. t.*

Abstineo à lite, ut des tantum, vel tantum do, ut à lite abstineas; idque speciale habet, quod, ea facta, pœnitere non liceat (l. 16. *C. h. t.*) Est autem transactio, vel realis, qua gravatur res; vel personalis, qua gravatur persona; illa, non ista transit ad successorem rei.

273. Q. I. *Qui transigere possint?*

R. Omnes et soli, qui rerum suarum vel alienarum liberam potestatem administrandi et alienandi habent, cum transactio sit species alienationis (l. 1. §. 6. ff. *si quid in fraud. patr.*)

Prohibentur autem transigere:—*de jure naturali*, usu rationis carentes, ut infantes etc.:—*de jure Canonico*, Religiosi sine consensu superioris, et Prælati super rebus Ecclesiæ absque solemnitatibus canonicis (*c. 3. 8. h. t.*):—*de jure civili*, pupillus et minor in suum damnum, tutores et curatores super immobilibus vel mobilibus pretiosis, syndici, administratores civitatis et procuratores sine speciali mandato, vasallus super re feudali, pater super bonis adventitiis filii emancipati, hæres gravatus super fideicommissio, et quidam alii, de quibus civilistæ ad *tit. ff. de transaction.*

274. Q. II. *Quæ sit materia transactionis?*

R. Omnis res dubia et litigiosa, super qua lis mota est, vel moveri potest.

In specie, transactio de jure canonico non permittitur:—1.º *De re spirituali*, aut *huic annexa*, cum interventu temporali pro spirituali; ut super jure decimarum, beneficii ecclesiastici, super jure patronatus, super spirituali subjectione (*c. 2. 3. 7. 9. 10. h. t.*); nam transactio, dato temporali pro spirituali, est simoniaca. Super his tamèn licita est gratuita et amicabile compositio, nullo temporali interveniente (*c. 7. h. t.*), exceptis beneficiis ecclesiasticis, in quibus prohibetur omnis pactio onerosa absque auctoritate legitimi superioris (*c. 4. 5. 6. h. t.*), tum ne detur vitiosus ingressus in beneficia, tum ut omnis species simoniæ evitetur.—2.º Transigi nequit super matrimonio dissolvendo, (*c. fin. h. t.*), quæ dispositio non extenditur ad sponsalia, utpotè ex natura sua solubilia.

De jure civili prohibetur transactio:—1.º Super alimentis futuris sine auctoritate judicis, ne is qui alendus est, necessariis ad vitam careat, l. 6. ff. *h. t. l. 8. C. eod.*; ubi præmittitur transactio super alimentis præteritis, cum pro his dicta ratio non militet.—2.º Super crimine publico, saltèm non capitali, uti etiam super adulterio (l. 18. *C. h. t.*), ne talia crimina pernicioso maneat impunita. At super crimine privato, et publico capitali, uti et super crimine falsi permittitur transigere, *cit. l. 18. C. h. t. et l. 1. ff. de bonis eor. qui ante sen. ibi: Principes ignoscendum censuerunt ei qui sanguinem suum qualiter redemptum voluit.*—3.º Super relictis testamento vel codicillo, nisi cognita sint verba tertamenti aut codicilli (l. 6. ff. *h. t.*)—4.º Super hæreditate viventis, (l. 4. *C. De postliminio reversl.*)—5.º Denique transigi nequit de re certa, et de re judicata (l. 1. ff. *h. t. et l. 23. ff. de condicti. indeb.*)

275. Q. III. *Quæ sit forma transactionis?*

R. Forma substantialis in eo consistit, ut transactio fiat non gratis, sed

aliquo dato, vel retento, promisso, vel remisso, (c. 7. h. t. l. 38. C. eod.) ubi rescribitur: transactio nullo dato, vel retento, seu promisso, minimè procedit. Accidentaliter autem forma consistit in eo, quod transactio fiat, purè vel sub conditione, extra vel intra iudicium, ante sententiam latam; imò etiã post hanc latam in certis casibus admittitur transactio; ut si ab ea appellatum est, vel si contra eam, aut rem iudicatam princeps admittat supplicationem, vel restitutionem in integrum (l. 32. C. h. t.) Ceterum, iudex regulariter non potest partes cogere ad transactionem, nisi res sit nimis intricata, et periculum armorum et rixarum immineat.

276. Q. IV. *Qui sint effectus transactionis?*

R. Seqq. præcipui:—1.º *Terminatio causæ controversæ, ita ut transactio vim habeat rei iudicatæ, neque revocari, aut rescindi possit, parte altera invita (l. 5. C. h. t.)*—2.º *Peremptio probationum in contrarium; ita ut neque instrumenta deinde reperta quidquam prosint contra transactionem (cap. 1. h. t.)*—3.º *Si transactio firmata sit rei traditione, aut stipulatione, parit actionem civilem; secus, exceptionem litis finitæ (l. 17. C. h. tit.)*—4.º *Transactio generalis extenditur ad omnia sub genere contenta; specialis verò tantum ad expressa, et his accessoria, seu necessariò connexa, modò nihil dolo tractatum sit. (lib. 35. ff. de pactis et lib. 27. §. 4. C. de pactis)*

277. Q. V. *Ex quibus causis transactio rescindi possit?*

R. Ex seqq:—1.º *Ex causa doli, vel metus injusti, quo transactio extorta est (l. 3. 49. 42. C. h. t.); nam actione, vel exceptione doli, aut metus submoveri potest omnis pactio.*—2.º *Ex causa falsi instrumenti, etiã bona fide producti (cit. l. 42.), quia defuit consensus in rem dubiam transigendam, cum falsitas non reddat causam dubiam.*—3.º *Ex causa erroris substantialis (l. 15. ff. de jurisd.)*—4.º *Ex causa gravis læsionis illatæ pupillo, vel alteri personæ gaudenti beneficio in integrum restitutionis (tit. C. si adversus transact.)*

278. Q. VI. *An rescindi possit transactio utrinque bona fide invita, si per eam major læsus est ultrà dimidium?*

Negat Gloss. in c. 6. de empt. Bald. Menoch. Gail, Schmalz, et alii, quorum sententia usu et praxi tribunalium firmata est. Abbas, Fach. Engl. Pirhing, Reiff. cum quibus:

R. Affirmativè. Prob. ex l. 5. si superstite C. de dolo malo, ubi filiæ emancipatæ, quæ per transactionem bona fide cum patre initam immodicè læsa est, conceditur actio in factum contra patrem; putà ut vel læsio repararetur, vel transactio rescindatur. Tum quia dolus ex proposito et dolus facti, seu reipsa interveniens, æquiparantur in jure in ordine ad reparandam læsionem, l. 36. ff. de V. O. ibi: *idem est, etsi nullus dolus intercesserit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habeat*; atqui in læsione ultrà dimidium dolus reipsa adesse præsumitur (l. 17. §. 1. ff. quæ in fraud. creditor); ergò. Ratio est, quia in venditione conceditur rescissio ob læsionem ultrà dimidium (l. 2. rem C. de rescind. vend.); quia hoc humanum est, ne alter ex alterius jactura locupletetur; quæ ratio etiã militat pro nostro casu; ergò. —His non obstat l. 78. §. fin. ff. ad SC. Trebell., à sensu contr. l. 19. 20.

et 29. C. h. t. l. 65. §. 1. ff. de condict. indebit.; nam jura ista intelligenda sunt pro casu, quo nullus dolus vel error, etiã reipsa commissus est in transactione; vel si quis scienter ob bonum pacis transigat, etsi lædatur; cum volenti non fiat injuria. Hæc ita in theoria; quia verò in praxi difficile est probare læsionem, cum ista non desumatur absolutè ex re, sed per comparisonem ad incertum eventum litis et victoriæ, ideò transactio ob læsionem majoris rarissimè rescindi poterit.

TITULUS XXXVII.

DE POSTULANDO. ^a

279. Nota I. Postulationem in præsentem accipi pro advocacy, seu officio advocati, qui aliter vocatur *orator*, *causidicus*, seu *patronus causæ*, et definitur: Persona legitima pro altero præsentem in iudicio assistens, ejusque causam legitime secundum jura defendens. Differt à procuratore, quia advocatus est persona jurium perita, fungitur munere publico et honorabili, pro præsentem postulat, et si causam malè agat colludendo cum adversario, tenetur de prævaricatione (l. 1. C. de advocat. divers. judicior.) Econtra, procurator est persona non necessariò jurium perita, sed solum diligens et industria, fungitur de se munere privato et vili, pro absente agit, et si causam malè procuret, tenetur actione mandari (l. 8. ff. mandati.)

Nota II. Advocatos esse varios.—1.º Sunt *publici*, qui in causis fisci et aliis publicis operam præstant (tit. C. de ad fisc.); et *privati*, qui in causis privatorum patrocinantur.—2.º *Ordinarii*, seu *jurati*, aut *immatriculati*, qui juramento præstito, publica magistratus auctoritate ad officium postulandi deputantur, et albo advocatorum inseruntur; et *extraordinarii*, qui stabiliter auctoritate magistratus non sunt deputati, sed quasi extra ordinem munus advocandi exercent.—3.º *Voluntarii*, qui à partibus rogati spontè agunt; et *necessarii*, qui etiã inviti coguntur à iudice patrocinium causæ suscipere; ut si iudex egeno det advocatum, (c. 1. de off. judic.)

280. Q. I. *Qui possint advocare?*

R. Generaliter omnes, qui nominatim non prohibentur: nam edictum de postulando in Pandectis h. t. propositum, est prohibitorium in materia generaliter permissa, ergò. Prohibentur autem edicto prætoris in primo ordine minores 17 annis, et surdi, qui pro nullo postulare possunt, (l. 1. §. 3. ff. h. t.) In secundo ordine fœminæ, cæci, et turpitudine notati, qui pro aliis postulare nequeunt, (ibid. §. 5. et seqq.) In tertio ordine infames,

^a—Agitur de hac materia in Decreto Can. 2. infames 3. q. 7. et Can. 7. 8. de panit. d. 1.—In Pandectis lib. 3. tit. 1.—In Codice lib. 2. tit. 6. 7. 8. 9. 10. 11.